DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
TRACTANS

ACIDUM HYDROCYANICUM

QUOD CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA RITE ET LEGITIME OBTINENDA
IN CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Sylvester Hammerer,
antarulanus Eggensis
Medicus castrensis.



In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die mensis Julii anni MDCCCXLIII.

VINDOBONAE.
EX TYPOGRAPHIA FERDINANDI ULLRICH.

PERILLUSTRI DOMINO DOMINO

SYLVESTRO HAMMERER,

SUAE CAESARIO - REGIAE APOSTOLICAE MAJESTATI A CONSILIIS GUBERNII, CAPITANO CIRCULI AD ATHESIN IN PROVINCIA TYROLENSI, C. R. GYMNASII BULSANENSIS ET MERANENSIS DIRECTORI, MUSEI FERDINANDEI, QUOD OENIPONTI EST, NEC NON C. R. SOCIETATIS AGRARIAE TYROL. ET VORARLBERG. MEMBRO

etc. etc. etc.

PATRUELI BENEFICENTISSIMO

D. D. D.

Introductio.

Collegimus potiora quaedam, quae recentioribus temporibus practicorum medicorum experientia de acido hydrocyanico deque aliis quibusdam remediis hoc acido efficacibus innotuere. Haec autem ita tradimus, ut quantum quidem fieri potest, opinionibus supersedentes meras observationes practicas proponamus. Neque tamen omnes medicorum experientias, sed eas tantum, quae nostris fere temporibus passim factae sunt, colligere atque conferre in animo fuit. Atque ut lectores ipsi, num ad scopum designatum propius quidquam accesserimus, judicare possint, agetur hic nobis de acido hydrocyanico ita, ut primum proprietates ejus physicas et rationes chemicas tradamus, tum praecipuas, quibus paratur methodos adducamus, virorumque, quorum industriae efficacissimum hoc medicamentum debetur, mentionem faciamus a medicis practicis utiliter oppositum est, formas enumeremus atque modas,

quibus adhiberi debeat, proponamus. Quibus praestitis ad caetera remedia, quae ab hoc acido efficaciam suam repetunt quorumque alia naturae sinus, alia artis solertia producit, transitum faciemus atque ita de lixiva, soda, ferro, zinco, hydrargiro, jodo, plumbo hydrocyanicis, — denique de foliis Laurocerasi, de foliis et cortice pruni padi, de amygdalis amaris, de foliis et nucleis amygdali persicae; de nucleis cerasorum nigrorem; prunorum domesticorum, prunorum armeniacorum quaedam adferemus.



Acidum hydrocyanicum.

Acidi hydrocyanici basis ex carbonio et azoto composita lyanum vocatura, ab hydrogenio naturam acidam repetit. Acidum ipsum, ab aqua liberum, fluidum, decolor, summe volatile, odoris narcotici, amygdalas amaras redolentis, saporis ab initio reficientis, dein pungentis, urentis, ad + 14° R. gravitatis, 0.6969, ad + 21° R. ebullit ad — 12° congelascit; chartae exploratoriae colorem caeruleum in rubrum mutat, qui vero priori mox cedit; cum decuplo aut duodecuplo aquae volumine conquassatum turbatur; pars acidi olei aetherei instar solutioni supernatans nonnumquam jam inter spatium unius horae, verto tamen intra quatuordecim dierum tempus resolvitur, id quod color liquoris fuscus indicat; cum alcohole qualibet ratione uniri et quin resolvatur, per annos efficax conservari potest neque; aetheris aleorumque aethereorum connubium recusat.

Acidum hydrocyanicum, quod Schaele anno 1780 primus paravit, principii efficacis quantitate varians, mitius fuit illo, quod Vauquelin ope acidi hydrothionici ex mercurio hydrocyanico obtinuit.

Pharmacopaea borussica sequentem parandi methodum adoptavit. Kali ferruginoso hydrocyanici puri et contriti unriae uni in cucurbitam vitream altiorem immissae adfundantur acidi phosphorici puri unciae duae cum spiritus vini puri unciis tribus commistae. Orificio cucurbitae tela gassijpina (Mousseline) obtecto, alembicus cum excipulo, cui spiritus

fectum hujus acidi primarium systema nervosum prae ceteris experiri. Tanta autem celeritate sensibilitatis principium huic systemati subtrahit, ut nonnumquam ejus restitutioni nullum plane locum concedere et electricitatis, vel quorundam animi affectuum v. e. terroris gaudii improvisi velocitate in corpus ejusque vitam animalem agere videatur. Quam autem systematis nervosi provinciam prae ceteris adgrediatur, certatur, quum alii cerebrum, alii medullam spinalem et diversa, quae inde nervos repetunt, organa eo adfici credant. Nobis autem ejus virtus in universum, idque vix non solum sensibilitatis principium directa, quamlibet systematis nervosi provinciam pari impetu aggredi posse videtur: in diversis enim individuis eodem modo adhibitum diversa organa afficit: id autem diverso, nervorum, his organis prospicientium receptivitatis gradu determinari arbitramur.

Qua acidum borrussicum in organismum humanum agit, efficientiae dupplicem gradum distinguere licebit, si quae usum ejus excipiunt phaenomena comparaveris. Ubi nimirum acidum hoc minori dosi adhibetur, aut homini, qui virtuti ejus fortius resistit adplicatur, systematis nervosi recipiendi facultatem deprimere videtur, quin reagendi facultatem pari ratione laedat. Unde fit, ut exigua dosi prudenter adhibitum, spasmos solvat, pulsum liberet, moderet, expandat; gratum quemdam sensum toto corpore diffundat, peculiari vultus hilaritate conspicuum; somnolentiam, somnum cum gratis somniis aut sine semniorum visis placitissimam quietem adferat. Ab apio potissimum eo differt, quod systema nervosum absque praegressa incitatione vasorum adgreditur. Effectus suos etiam in vitam plasticam exserit: siquidem ciborum appetentiam immi-

nuit, digestionem, assimilationem, haematosin, nutritionem infirmat, atque hin sanguinem cruore, fibraque parcum, sero abundantem generari facit et adhaesionem solvendo regredientem metamorphosim rapidiorem reddit. Unde vis ejus glandularum tumores discutiens, humorum in membranis aliisque organis stagnantium progressum impellens intelligitur.

Ubi autem majori dosi applicatur, pari ratione qua recipiendi facultatem laedit, reagendi potestatem imminuit. Observantur igitur anaestesia, stupor, delassatio, tremor artuum, resolutio sphincterum, convulsiones; pulsus modo frequentior, modo tardior; semper mollis et expansus; stases in venis hepatis, lienis; tensio plenitudo praecordiorum, vertigo, dolor, gravedo capitis; animi conscientia per vices abolito; respiratio difficilis, molesta; dolor, ardor in collo et ventriculo; exulceratio palati, salivatio (Maclead). Dr. Born, qui in proprio corpore experimenta instituit, cephalalgiam totum caput vehementissime discruciantem frequentiusque vices repetentem, sinul lineprae et internae buccarum) faciei excoriationes passus est.

Non raro jam inter haec phaenomena vita hominis extinquitur, interdum tamen convulsiones praecedentes, tris mus, tetanus, vehementes encephali affectiones in summam debilitatem, paralysin partialem, universalem resolvuntur. Sat saepe dosi sufficiente vitam sensiferam et irritabilem uno quasi ictu exhaurit et fulminis ad instar necat.

Cadavera musculos irritabilitate destitutos nec stimulo galvanico excitandas, sanguinem resolutum obscurum nigricantem, praeceteris in encephalo, hepate, pulmonibus accumulatum; faciem internam ventriculi, intestini duodeni, nec non laryngis et stra-

cheae striis sanguinis notatam offerunt in putredinem pronissima.

Adhibetur acidum hydrocyanicum in morbis inflammatoriis.

Brera et Borda quum hoc veneno vitam irratabilem deprimi et hypersthenjam processus vitalis moderari observassent, in inflammationibus usum ejus fecerunt, atque salutares inde effectus experti sunt. Serius tamen contenderunt, hoc medicamentum praemissa demum sanguinis evacuatione cum fructu adhiberi posse.

Manzoni et Elwert angustioribus limititus illius usum circumscripserunt, quippe qui nonnisi in erethismo systematis irritabilis et nervosi atque praesertim in eo, qui instituta jam cura antiphlogistica inflammationi supervenit, acidum hoc salutare esse dicant.

In pneumonia, si fracta inflammationis vi, respiratio brevis, anxia, cum doloribus punctoriis; pulsus frequens, durior, sensus; inquietudo, siccitas cutis aegrum molestant, acidum hydrocyanicum adhibere solent. Brera in pneumonia notha et suffucatoria illius usum commendat.

In bronchitide et catarrho inflammatorio Granville, Magendie, Manzoni, Thomson observabant acido hydrocyanino spasmos solvi sudorem et sputa mucosa cum levamine prolici, respirationem et pulsum celeriorem pacari atque componi Dr. Heller in pneumonia et bronchitide sequentem formulam cum fausto successu exhibuit:

Rec. Acid. hydrocyan. *gutt. decem*
Syrup. emulsivi
Aq. destill. aa *unc. duas*
Aq. flor. naphae *dr. unam.*

M. S. Alle Viertelstunden einen Kaffehlöffel voll zu nehmen.

In myelitide a Brera, in enteritide a Cevasco; in dysenteria inflammatoria et metritide cum eminenter affecto systemate nervoso a Tomasini acidum hydrocyanicum cum fructu adhibitum est. In ophthalmia chronica scrophulosa Elwert illius usum laudat.

In nevrosibus: Ubicunque spasmus solvendus, dolor ex plethora, inflammatione, tensione fibrae muscularis aut nerveae paccandus, acidum hydrocyanicum praestantem exserit effectum. Adhibetur in tussi spastica, asthmate spasmodico, pertussi, asthmate Millari.

Dr. Heller acidi hydrocyanici efficaciam prae reliquis morbis in tussi convulsiva praedicat, affirmans dolorificos insultus illius usu breviores reddi vel penitus supprimi.

Weese cursus finem secundi stadii ejusdem morbi, ubiuberior muci secretio inflammationem devictam indicat, salutares effectus acidi hydrocianici ëxpertus est. Plures medici durante adhuc stadio inflammatorio nimiam organorum respirantium iritabilitatem hoc narcotico componi et inde insultus mitigari observarunt.

In asthmate quoque Millari optatos exseruit effectus. v. Velsen salutare expertus est hoc acidum in pertussi pura cum febri inflammatoria mitiori idque in stadio catarrhali et initio stadii nervosi. Idem autor asserit, quod si morbus ad altiorem gradum evectus fuerit aut si jam in initio morbi absque levamine usurpatum fuerit, se hoc remedium inefficax invenisse. Thomson salutarem hujus pharmaci effectum in tussi spastica laudat.

In affectionibus spasticis tractus intestinalis Ellioston, qui in morbis pectoris omnem acidi hydrocianici efficaciam negat, illius usum sumnis

laudibus extollit in cardialgia, in cardialgia cum dyspepsia, quam flatulentia, anorexia, soda, nausea vomitus, vertigo, alvi pertinax obstipatio, exaltata coenesthesis, dyspnoea comitatur, in dyspepsia dolorifica quae cordis morbus mentitur. Thomson quoque in cardialgia, Prout in colica saturnina salutarem ejus offectum expertus est.

Kopp, Elwert et plures medici hypochondriacorum et hystericarum spasmos solutos aut aegros acido hydrocyanico multum saltem levatos fuisse referunt. Adhibetur quoque in doloribus spuriis ad partum, in tenesmo, stranguria, illo spastico, hernia incarcerata.

In convulsionibus chronicis et nevralgiis.

Harless et Urvens prosopalgiam, cujus causa in dente carioso latebat, saepius tollebant, acidum hydrocianicum denti instillantes et interne simul propinantes. Elwert odontalgiam hoc remedio mitigavit. In rheumatismo quoque arthritide, ischiade Harlesio salutares exseruit effectus. In cancro uteri, mammae Frisch dolores atrocissimos et nullo paregorico mitigandas, partem afflictam acido hoc diluto lavando, sopivit. Ita et Harles vulnerum et ulcerum dolores mitigavit.

In epilepsia non inveterata, quae radicatur in stasibus systematis glandularum, plethora abdominali vel animi pathematibus sustentatur. Vogt multum auxilii ab hoc remedio exspectat. Heller insultus epilepticos usum illius excipientes prioribus multo mitiores observavit. Gremmler acidum hydrocyanicum secundum Giese paratum tribus epilepticis exhibunt, qui longiori abinde tempore insultibus vacarunt. In Chorea St. Viti Elliotsonio hoc remedium multum praestitit. In tetano a Klein in tetano traumatico a Trzevanto sicut in tris

mo spasmi quid quam sopiti, aegri tamen arci faucibus non sunt erepti.

In haemorrhagiis praecipue haemoptöe, metrorrhagia activa, praegressa sanguinis evacuatione acidum hydrocyanicum egregium ex seruit effectum, quem vero medici non experti sunt in illis haemorrhagiis, quae stases venosas qua causam agnoscunt. In haemorrhagiis, quae cum spasmo et erethismo incedunt, nonnulli multum inde auxilii exspectant.

In plethora abdominali et stasibus in systemate glandularum et inde procedente hypochondria, hysteria, melancholia, mania. Vogt et Sibergundi acidi hydrocianici usum suadent in illa tantum plethora abdominali, quae occurrit in juvenibus, qui vitam, sedentariam degunt et inde emergente sanguinis indole phlogistica gaudent; contra praevalente venositate ab illius usu abstinendum esse monent.

In tumoribus, induratione glandularum incipiente individuis sensiliaribus acidum hydrocyanicum vires discussivas ostendit; Cheston et Osiander specificas huic acido vires tribuerunt quibus scirrhum apertum sanet, cui tamen asserto aliorum practicorum experientia repugnat.

In morbis pectoris.

Laudant hoc acidum Elwert, Roch, Magendie in phthysi pulmonali. Magendie circa acidi hydrocyanici in morbis pectoris, praecipue in phthysi pulmonali usum, sequentia adnotavit: Acidum hydrocyanicum concentratum virus praestantissimum est, ideoque in usum medicum trahi non potest: contra dilutum in tussi chronica spastica salutare, in phthysi etiam pulmonali tussim, sputationem nimiam moderat, minuit, somnumque adfert; phthysin tandem ipsam praecipue primis initiis atque (quod quidem rarius) ubi in suppurationis sta-

dium transgressa est, tollit. His conveniunt plurium medicorum observationes, quibus nimirum acidum hydrocyanicum in phthysi incipiente, quae cum morbosa pulmonum irritabilitate, cum tuberculis haemoptöe conjuncta erat; in phthysi florida salutares effectus praestitit.

Velsen in phthysi pitutiosa nil inde emolumenti vidit, in phthysi autem purulenta hoc acido in decoctis radicis althaeae, consolidae majoris, lichenis islandici exhibito vel cum medicamentis amaris, tonicis conjuncto, sudores profusos moderari, aestum molestum minui, tussim et inquiet udinem mitigari, componique observavit.

Günther levamen quidem morbi nec tamen salutem aegris hoc remedio tulit. Weese contra in laudibus, quibus in phthysi nonnullis extollitur, non consentit. Neumann acido hydrocianico secundum eam quam Ittnerus tradidit methodum parato usus est in phthysi pituitosa, ubi sputorum quidem excretionem non minerit, tussis tamen molestias mitigavit. In phthysi tuberculosa ubi dolores pungentes, sputa cruenta, anxietas aegros molestabant minus praestitit, quam consueta hunc morbum tractandi methodus praestare solet. Nec in phthysi tracheali illud cum fausto successu exhibuit, nec in phthysi ulcerosa ubi colliquationis symptomata hoc veneno exacerbari augerique observabat. Weitsch factis observatiosnibus sequentia effici vult: Acidum hydrocyanicum nil praestat in phthysi purulenta; ejus in nevrosibus efficacia problematica; in phthysi pituitosa tanta ut caeteris facile palmam praecipiat; ubi salutare, repente egregios esserit effectus: qui peculiari illius nausea et aversatione feruntur, illis nil inde salutis atque solatiì; dosis qua exhiberi debet, in genere determinari non potest.

Magendie et Houschenel quos in tussi chronica in aegrorum solatium exseruit, effectus salutares laudant, posteriorque quatuor aegros hoc morbo laborantes feliciter sanavit. Ubi tamen tussis chronica inflammationis signa prae se ferat, ab hoc remedio aut penitus abstinendum aut antequam adhibeatur, curandi methodum antiphlogisticam instituendam esse docet.

Elwert in catarrho illud pulmonum inflammatorio salutiferum esse docet, et cum Velsen consentit, qui morbi hujus symptomata eo mitigata, morbumque ipsum, ubi non altiorem vehementiae gradum ascenderat, sublatum esse observavit. Ubi tamen morbus altiora incrementa ceperat, tussisque socia vehemens erat, ubi nel auxilii vidit.

Heller illud in anevrismate cordis aut simplex aut uti alii fecere cum digitali purpurea conjunctum salutare praedicat: idque maxime, ubi cordis irritabilitas sanitatis limites migraverit.

Maclead in cardiopalmo, qui a nervorum agilitate nimia aut digestionis turbis originem repetebat; nec non in aneurismate cordis, viresillius palliativas experientia comprobatas, laudat.

Elliotson in cardiopalmum qui vitio organico sustineatur, et in sanguinis cum impetu per vasa ruentis circulum mitigandum, componendumque virtutem ejus exiguam admodum esse contendit.

Brera hoc acido helminthiasi laborantes vermibus, quos vivos expulit feliciter liberavit. Cagnola et Gelneke taeniae cujus pars tantum ex ano propendebat regredique minabatur, mortifera inde pocula pararnnt idque feliciter: sequidem hora ab instituto veneficio elapsa, enectae taeniae cadaver per anum excretum est.

Dosis hujus remedii ab auctoribus pro varia

acidum parandi methodo, diversa statuitur. Olyver qui exiguas doses nullo, magnas autem in phthysi et asthmate egregio effectu exhibuit, majori quantitate propinandum esse contendit. Ita et Angli atque Itali medici, acido secundum eam, quam Scheele proposuit, methodum parato aut alio quodam vix non inefficaci usu usi fuisse videntur, quippe qui non nisi ab ingentibus fere dosibus effectus salutares esseri volunt. Dunglisson sequenti modo praescribit formulam usui externo reservatam.

Rec. Acid. hydrocyani (Scheele) *dr. sex.*
Spirit. vini rectific. *unc. unam*
Aq. destill. *unc. decem et dimidiam.*
M.

Prof. Heineke secund: Vauquelin parati acidi hydrocyanici adultis inter viginti quatuor horas, ab initio guttas octo propinat, augenda quotidie dosim guttis duabus et usque ad viginti ascendit. Infantibus a duabus ad quinque annos ab initio guttam semis exhibet. Vehiculum ex quo sumendum sit, jam decoctum radicum salep, jam lich. island., jam infusum valerianae, jam digitalis pro diversa indicatione constituit.

Elwert ingentes hujus acidi doses praescribit, quas, licet felicissimo eventu exhiberentur, non facile quisquam repetere ausit, qui cogitaverit ab eo, acidi secundum Vauquelin et Schrader parati, viginti usque septuaginta guttas, secundum Trautwein parati decem usque triginta quinque guttas exhibitas fuisse. Acidum hydrocyanicum quale Gay-Lussac paraverat, in usum medicum trahi non potest, nisi auctore Magendie aqua destillata aut spiritu vini, quae illud volumine sexies, pondere octies aut quincties superent dilutum fuerit. Kerbaradek medicus parisinus sequenti modo

praescribit acidum hydrocyanicum secundum Gay-Lussac paratum:

Rec. Acid. hydrocyan. *dr. unam.*
Aq. destill. *libr. unam.*
Sacchari alb. unc. *unam* et *dimidiam.*
M. D. S. Früh und Abends Ein Eßlöffel voll zu nehmen.

Rec. Inf. hederae terestris *unc. duas*
Acid. hydrocyan. gutt. *quindecim.*
Syrup althaeae *unc. unam.*
M. D. S. Alle 3 Stunden Ein Eßlöffel voll zu nehmen.

Rec. Syrup. Sacch. optime clarif. *libr. unam*
Acidi hydrocyan. *dr. unam*
misce exacte.

Hunc syrupum medici parisini in morbis pectoris potui ordinario loco alius syrupi addere solent.

Krimer viginti guttas acidi hydrocyanici secundum Keller parati, diluit sexaginta guttis alcoholis, cujus solutionis omni 2 — 4 hora tres vel quatuor guttas sacharo instillari jubet. Ubi medici hac methodo, illius usum facientes in organa pectoris directe agere volunt, saccharum, cui acidum instillatum est, ori illico inseri, ibique, donec liquefactum sit, retineri jubent, ut acidum volatile inde ad pulmones feratur. Contra ubi organa abdominalia salutares ejus effectus experiri cupiunt, saccharum eodem modo ori inserendum atque subito deglutiendum esse docent, ne in vapores expansum discipetur atque indigestionis organis subducatur.

Harles hoc acidum aequali aquae dilutae et

spiritus vini communis pondere dilutum hoc modo praescribit.

Rec. Acid. hydroc. Kellerei *gutt. decem*
Spirit. vini Callici, vel
Aqu. cinamom. spirituos.
„ florum tiliae vel
„ rosarum aa *gutt. sexaginta.*
M. D. in vitro chart. nigr. abducto
S. Acid. hydrocyanic. dilut. spirituosum.

Infantibus 5 — 7 annorum hujus mixturae guttas duas vel quinque, pueris 12 — 15 annorum, guttas, quinque, septem, adultis demum septem, duodecim guttas propinat, necque dictas doses transgridiendas unquam esse monet, quum si praescriptos limites migraveris, cephalalgia, vertigo aliaque narcoseos symptomata ingruant. Ceterum infuso florum chamomillae aut radicum valerianae frigido instillatum subito deglutiri jubet, ne, est enim ad modum volatile, calore in vapores expansum discipetur et temporis tractu efficaciam amittat.

Monent medici ut, si acidum hydrocyanicum aqua solutum praescribatur, solutio antequam exhibeatur, probe agitetur, quum acidum ab aqua facile secedat eique supernatet. Quo facto solutionem inaequabilem evadere atque perniciosissimos effectus producere posse, non est difficile intelligere.

Acidi hydrocyanici in organismum animalem vinum efficientiam ammonio tolli jam pridem notum fuit. Recentioribus temporibus John Murray ammonium tutum atque praesens acidi hydrocyanici antidotum esse, institutis experimentis comprobavit. Aegro cuidam, qui acido hydrocyanico tractatus, factae intoxicationis symptomata prae se ferre coeperat, panni lintei tenuiores, ammonia liquida hu-

mectati atque fronti et temporibus impositi saluberrimos effectus tulerunt.

Harles intoxicationi acido hydrocyanico inductae, infusum fabarum caffeae tostarum aquosum vel addito lacte mixtum opponit, idque ea ratione propinat, ut singulis vicibus dimidia vascula capiantur.

Home cani acido hydrocyanico intoxiato, venam jugularem ad maturandam mortem, sectam recupirandae salutis causam fuisse observavit.

Aquae etiam frigidae adspersione, infusione, lotione corpori adplicandae magnam virtutem tribuunt. Quum tanti intersit, acidum hydrocyanicum semper et ubique eadem efficacia parari, id autem vix unquam fieri possit, quum acidum paratum propter summam volatilitatem tractu temporis virtutem efficacem amittat, aëre, luce, calore etiam resolvatur, medici necessitate quadam compulsi ad diversa praeparata confugere, quae acidi vires aequabiliter distributas constanter retinerent. Atque ita factum est, ut illo cum alcalibus et metallis conjuncto haec praeparata obtinerent.

I. Hydrocyanae lixivae.

Lixiva hydrocyanica: Kali hydrocyanicum. — Kali cyanico aqua soluto obtinetur.

Robiquet et Villerme praesente Magendie experimenti gratia exhibuerunt fringillae cannabinae mexicanae, centesimam grani partem hujus praeparati, quae elapsa dimidia sexagesima horae exanimis concidit.

Hydrocheram Cabajam granum unum, canem majorem drachma dimidia et grana quinque intra quadrantem horae enecuerunt.

Magendie. Kaly cyanicum quartuplo aquae destillatae pondere dilutum, eodem modo ac acidum hydrocyanicum in usum medicum convertit, illudque Hydrocyanatem Potassae medicinalem compellavit. Ope acidi cujusquam vegetabilis, acidum hydrocyanicum a lixiva separari atque purum obtineri potest.

Hucusque his fere formulis praescriptum est:

Rec. Kali hydrocian. off. *dr. unam*
Aq. destill. *libr. unam*
Sachari alb. unc. *unam et dimidiam.*
M. D. S. Früh und Abends Ein Eßlöffel voll zu nehmen.

Rec. Inf. herb. chamaedr. *unc. duas*
Kali hydrocyani. off. *gutt. quindecim*
M. D. S. Alle drey Stunden Ein Eßlöffel voll zu geben.

Rec. Aq. lactucae. *unc. duas.*
Kyankalii *gr. dimidium*
Syrup. althaeae *unc. unam.*
M. D. S. Alle 2 Stunden 1 Eßlöffel voll zu nehmen.

Rec. Syrup. simpl. clarifi. *libr. unam*
Kali hydrocyani off. *dr. unam*
S. Einem Brusttranke beyzumischen.

II. Ferro, cyanas lixivae.

Hydrocyanas lixivae ferruginosum, quod Professor Brera acido hydrocyanio substituit et ita praescribere solet:

Rec. Hydrocyanat. lixiv. ferrugin. *gr. quatuor*
Acidi tart. *scrup. unum*
Roob sambuc. gr. ut f. l. a. Boli *quatuor*
S. Alle Stunden Ein Bissen zu nehmen.

Vir ingeniosissimus hydrocyanatem potassae acido tartrico in ventriculo resolvi atque ita vires in organismum humanum intendi vult.

Rau in gravaminibus lithiasi ortis sequenti formula praescriptum in aegrorum emolumentum adhibuit.

Rec. Kali zootivi *unc. unam*
Aq. petrosilini *unc. sex.*
„ lauroceras. *dr. duas*
M. D. S. Früh, Nachmittags und Abends Ein Eßlöffel voll zu nehmen.

III. Soda brussiato.

Medicis quibusdam Italis medicamentum antiphlogisticum est, quod morbis phlogisticis magis conveniat, quam tartarus emeticus, quem contrastimuli professores adhibere solebant.

IV. Hydrocyanas ferri.

Borrussias ferri, ferrum cyanicum, recentioribus chimicis Borrussias oxydi ferroso-ferrici, Buchnero ferro-cyanas oxydi ferri appellatur. In mercatorum officinis sub nomine caerulei parisini venditur.

Quod usui medico inserviat, Buchnero paratur, Kali ferruginoso-hydrocyanicum in aqua pura solvendo et solutioni ferrum sulfuricum artefactum addendo, usquedum nil ex fluido subsidat. Sedimentum a superfluo forsan oxydo ferri, adfuso acido muriatico diluto liberatum, aqua deinde fervida ab-

lutum et siccatum colore obscure caeruleo placet, insipidum ceteroquin et inodorum, nec aqua, nec spiritu vini solvendum.

Zollikofer, Hosak et Eberle Americae septentrionalis medici egregios, quos hoc praeparatum in febri intermittente exserat effectus, magnis laudibus extollunt, atque Zollikofer aliquoties de die cum saccharo ex pauxillo aquae granatim sumptum cortici chinae praefert, quod neque saporem odoremque offendat, neque ventriculo molestias struat, omni febris stadio utiliter exhiberi possit, atque citius totiusque morbo finem imponat. Ceterum singulas doses ad grana quatuor, novem auget, bis, ter de die repetendas.

Kirchhofer eo epilepsias pertinaces sustulit in adultis a grano dimidio paullatim ad integrum ascendens et in individuis plethoricis, ad congestionem pronis, sanguinis evacuationem pro re nata generalem aut topicam praemittens, monensque ab hoc remedio in illis epilepsiis, quae vitiis organicis originem debeant, nil auxilii expectari posse.

Chirurgi quidam Angliae in ulceribus malignis et ipsis canceraticis sequentis unquenti vires salutares magnopere laudant.

Rec. Ferri prussici pulveris. *dr. unam.*
Unguenti cetacei *unc. unam.*
M. exactissime etc.

V. Hydrocyanas Zinci.

Zincum hydrocyanicum, zooticum ex mutua resolutione Kali hydrocyanici et zinci sulfurici ortum, pulverem refert album inodorum, qui nec aqua nec spiritu vini solubilis ab accedentibus aëre et luce resolvitur.

Hufeland in nevralgiis: cardialgia, epilepsia, paralysi solutares hujus praeparati vires laudet.

Henning in cardialgia, spasmis hystericarum nervorum distensionibus, quae vermibus intestinalibus originem debent, salutare praedicat.

Alii medicorum in Chorea St. Viti, quater de die granum unum in infuso foliorum aurantii, rad. valerianae, menthae piperitae exhiberi jubent; ceterum dosis ad grana quatuor aucta ter de die exhibita nulla quidem narcoseos symptomata producere, sed molestam quamdam sensus communis alienationem alvique evacuationem segniorem inferre visa est.

VI. Hydrocyanas hydrargiri.

Hydrargirum hydrocyanicum, zootinicum ita paratur, ut oxydum hydrargiri rubrum cum dupplo caerulei parisini remixtum cum decuplo aquae purae ebulliat, donec color caeruleus penitus dispareat, liquidum a massa non soluta separatum evaporetur, ut crystallos demittat prismata tenuia referentes.

Haec prismata quadruplici superficie cincta in apices acuminatos excurrunt; ceterum odoris expertia, sapore metallico, acri et quali amygdalae amarae instructa, aëre non mutantur, aqua facillime solvenda.

Nonnulli practici, quos in syphilide *) exseruerit effectus salutares, magnopere laudant, sed circa ejus in hoc morbo usum et efficientiam adnotant huic solutioni pro aegri conditione organica, laudanum addendum esse, quum alias minimae doses

*) Haenle Magaz. Bd. 5. pag. 51.

nauseam, vomitum excitent. Bene porrigitur in decocto Sarsaparillae scorzonerae aut hordei. Ventriculo jejuno sumptum vomitum movet; — organis pectoris nil incommodi infert; — dosi majori animi deliquium, anxietatem, spasmos producit; tandem usus ejus solivationem nunquam non pedissequam habet.

Neumann hoc praeparatum in pneumoniis chronicis et organorum abdominalium inflammationibus nullo plane effectu salutari adhibuit: contra tertio fere, quartove die adplicationis, salivationem oriri observavit, licet non ultra octavam grani partem bis de die propinaret.

Ceteram hepar induratum hoc remedio emolieri visum est.

Biet herpeti squammoso inflammatoris sequenti unguento additum cum laudabili effectu opposuit.

Rec. Hydrarg. cyanic. *gr. sedecim.*
Ax. ung. porc. *unc. unam.*
Essent. citri. *gutt. quindecim.*
M. in unq.

VII. Hydrocyanas plumbi.

Plumbum cyanicum quod Neumann in phthysi florida, quam haemoptisis, dolores punctorii, dispepsia comitabantur, efficax fore ratus est, cum et plumbum et acidum hydrocyanium e morbo laborantibus salutare praedicetur. Sed male collegerat, magna enim inde exacerbatio morbi.

VIII. Jodum cyanicum.

Jodum cum cyano chemice junctum, acus refert longas tenues, odoris pungentis, lacrimas prolicien-

tis saporis caustici, prunis candentibus inspersum vapores violaceos eructat. Alcohole facilius quam aqua solvitur. Sub lucis accessu color albus in roseum mutari visus est.

Scoutetten, v. Dyk et Lassaigne illud in animalia, quibus experimenti causa exhibuere, causticos narcoticosque effectus exserere adnotarunt. Tam etsi quidam suaderent, ut in medicina efficaces illius vires tentarentur, tamen adhuc nemo medicorum id facere ausus est.

Prunus laurocerasus.

Arbor in Europa meridionali sponte crescens, in nostris regionibus hibernaculis inclusa propugnatur. Usui medico suppeditat folia magna, ovato-oblonga, quatuor sexue pollices longa, duos et dimidium lata, subtiliter serrata, supra obscure víridia, infra pallidiora, rigida coriacea, succulenta; in tergo ad petiolum glandulas duas efferentia, trita amygdalas amaras redolentia, saporis amari, subacris, siccata saporis et odoris fere nullius. Virtutem suam folia laurocerasi ab oleo aethereo, acido hydrocyanico gravi repetunt.

Vocatur autem in usum medicum aqua laurocerasi et oleum aethereum. Prior secundum nostrae pharmacopoeae praecepta ita paratur, ut foliorum recentium contusorum libra una cum libris tribus aquae destillationi tradatur, qua una tantum aquae libra abstrahatur.

Aqua, quae destillatione obtenta est, limpida amygdalas amaras redolet, sapitque. Si autem majorem quantitatem foliorum aut minorem aquae destillationi commiseris praeparatum inde habebis turbidum, propter majorem quantitatem olei aetherei.

Pharmacopoea borrussica illam ita parari jubet;

ut foliorum laurocerasi recenter conscissorum, librae duae cum aquae libris sex et spiritus vini rectificatissimi unciis duabus, destillationi committatur, donec librae tres inde abstractae fuerint.

Adhibetur autem haec aqua, utpote oleo aethereo gravis, in iisdem morborum formis, in quibus acidum hydrocyanicum salutare praedicatur atque in morbis abdominis, praecipue stasibus venosis hepatis, lienis et qui inde procedunt horum viscerum infarctibus; in hypochondria, hysteria melancholia, in tractus alimentaris affectionibus spasticis, illius efficaciam laudant. Hufeland ileum spasmodinum, qui herniae incarceratae accesserat, aqua laurocerasi interne adhibita, composuit, remque eo adduxit, ut quae prius frustra tentata erat, taxis facillime institui posset.

Adhibetur etiam in morbis pectoris: in phthysi pulmonali, pneumoniae posthuma progenie; in phthysi tuberculosa, in tussi pituitosa, convulsiva; in intumescentiis et indurationibus glandularum lymphaticarum, praecipue si cum erethismo conjunctae incedunt. In tumore uteri chronico, induratione Osiander infusi foliorum laurocerasi injectione, carcinoma uteri, Cheston humectatione carcinoma labii sustulit; Hargens, Schreger obscurationes corneae curarunt.

Adhibetur tandem in nevrosibus, epilepsia, catalepsia, Chorea St. Viti, prosopalgia. Dosim aquae laurocerasi diversi medici diversam statuunt, quum alii majorem illi, alii minorem vim narcoticam tribuant. Vis autem quae inest medicatrix huic remedio, multum dependet a parandi ratione nec non tempore, quo folia carpuntur. Hinc non mirum a nonnullis, ingentes doses praescriptas legere, quin majorem, quam a solenni dosi, effectum impetrassent.

Hufeland ab initio omni secunda hora hujus aquae guttas viginti exhibet, atque paullatim ad guttas sexaginta et ultra ascendit; interdum tamen a guttis triginta, leviora narcoseos symptomata induxi animadvertit.

Henning in tussi convulsiva sequentem mixturam laudat.

Rec. Mucil. tragacanth.
Syrup. alth. aa. *unc. unam.*
Aquae lauroc. *dr. unam.*
S. Alle 2 — 3 Stunden 1 Kaffehlöffel voll zu nehmen.

Brasserio in eodem morbo salutares praedicat vapores, quos aqua laurocerasi arenae candenti infusa eructat. Berndt pertinacissimam prosopalgiam aqua laurocerasi et extracto belladonnae sequenti formula praescriptis feliciter sanavit.

Rec. Extr. belladon. *gr. quatuor*
Solve in aq. lauroc. *unc. dimidia*
M. D. S. Täglich 3 Mahl 30 Tropfen.

Aquae laurocerasi efficacia, iterata destillatione intendi potest, et quae inde obtinetur, aqua laurocerasi concentrata seu cohobata dicitur, ad guttas decem pro dosi exhibenda. Cheston cancrum labii sequenti infuso foliorum laurocerasi sanavit:

Rec. Folior. lauroceras. recent. *unc. quatuor*
Aq. bullient. *libr. duas.*
inf. p. horam v. e.
Colat. adde.
Melis despumati. *unc. quatuor.*

Linteamina tenuia hoc liquore humefacta ulceribus imponuntur et opportuno tempore cum novis commutantur. Professor Taddei oleum laurocerasi essentiale caeteris medicamentis acido hydrocyanico efficacibus praeferendum esse putat, quippe quod acydum hydrocyanicum aequabiliter distributum

contineat, nec lucis, caloris, aerisve influxu resolvatur et per annos efficax servari possit. Is autem guttas decem hujus olei essentialis in uncia una olei cujusdam pinquis solvit cujus solutionis partem vicesimam quartam singulis vicibus exhiberi vult.

Borgonzi et Camelli aquae laurocerasi tartarum emeticum, qua antitodum opponunt Camelli non tantum aquae laurocerasi vim narcoticam tartaro emetico penitus tolli, sed vim etiam emeticam tartari stibiati aqua laurocerasi ita sufflaminari asserit, ut tartarus hac aqua solutus nullam plane emesim moveat, neque tum, ubi aqua destillata simplici soluto aqua laurocerasi superbibitur.

Prunus Padus,

arbor Europae mediae, corticem et folia aegrorum saluti offert. Cortex ramorum juniorum primo vere collectus, tenuis, extra fuscus viridis intra flavo, fuscus, odoris amygdalini, saporis amari, acris efficaciam suam eidem principio ac aqua laurocerasi debet. Minores doses secretionem cutaneam, urinae, functiones membranarum mucosarum promovent, id quod medicamentis acribus commune est. Quum praeterea narcoticas etiam vires recludat, quas ab acido hydrocyanico repetit, ejus in morbis vitae plasticae qui cum turbata se-et excretione et qualitativa materierum mutatione incedunt, efficacia intelligitur. Bremer nunc corticem in arthritide chronica, rheumatismo chronico, paralysi adhibuit. Quidam in febri intermittente nunc corticem salutarem fore rati sunt, sed quum exiguam ejus in hoc morbo efficaciam obsorvarent, penitus deseruere. Lejeune folia pruni padi in iis phthysis speciebus, ubi acidum hydrocyanicum adhibere solent in usum traxit, atque pulsus frequentiam minorem, tussim mitiorem,

sputationem liberiorem inde observabit nec tamen longo tempore. Idem etiam in cordis affectionibus, quibus digitalis purpurea nil auxilii tulit, egregios ejus effectus laudat.

Praescribitur autem cortex pruni padi ad unciam unam aqua aut vino infusus ita ut colaturae unciarum octo duo cochlearia omni secunda hora exhibeantur.

Amygdalae amarae.

Fructus varietatis amygdali communis sunt, ex quibus aqua paratur, quae nonnullis medicis caeteris medicamentis acido hydrocyanico efficacibus praeferenda putatur, eo, quod acidum hydrocyanicum oleo aetheres his fructibus recluso, tenacius ad haereat, tum per annos servari, quin efficaciam amittat, et in omni pharmacopolio efficax haberi possit et tandem acidum hydrocyanicum aequabiliter distributum gerat. Aqua amygdalarum amararum saporis odorisque fortioris quam aqua laurocerasi, vis tamen, qua organismum humanum impetit, minor est, ideoque ejus dosis quidquam major esse debet.

Oleum aethereum ex amygdalis amaris elicitum coloris aurei, volatile, ad modum narcoticum in aqua fundum petit, sub accessu aëris in acidum benzoicum mutatur; caeterum acidum hydrocyanicum, materiam quamdam solidam camphoraceam minus volatilem, crystallisandam continet, uti Vogel, Brischow confirmant. Secundum hos autores, oleum aethereum acido hydrocyanico privatum amygdalas amaras redolet, viresque venenatas retinet.

Schrader ex amygdalis amaris, sequentem aquam hydrocianicam vegetabilem parat, eodem modo ac aqua laurocerasi exhibendam.

Rec. Olei amygd. amarar. aether. recent. parat. *dr. unam*
Spirit. vini rectificattiss. *unc. unam et dimidiam*
Aquae destill. *unc. sedecim et semis*
M. S. Aqua hydrocyanica vegetabilis.

Idem praeterea acidum hydrocyanicum vegetabile ex amygdalis amaris elixit, eadem efficacia pollens, qua acidum hydrocyanicum, quod secundum Vauquelini methodum emendatam, obtinetur.

Rec. Olei amygd. amar. aether. recent. parat. *dr. unam*
Spirit. vini alcoholis. 0, 815
Aq. destillat. aa *dr. novem*
M. Sig. Acidum hydrocyanicum vegetabile.

Amygdalus persica.

Folia hujus arboris magna, lanceolata, acuta serrata, recentia oleo aethereo flavo scatent, quod aqua gravius et acido hydrocyanico efficax est. Quantitas autem olei aetherei differt secundum anni tempora, siquidem plus aestate, minus autumnali tempore continent. Adhibentur autem haec folia in helminthiasi, scorbuto, impetiginibus et rheumatismo; recentioribus temporibus a nonnullis in lithiasi et procedentibus inde gravaminibus laudata sunt, qui in irritabilitate ureturae et vesicae urinariae morbose aucta haec folia sequenti formula praescripserunt.


Rec. Folior. amygdal. persic. exsicc. *unc. semis*
Aq. fervi. lib. *unam*
M. digere per 3 hor. loco calido.
S. Dreymahl im Tage ein Eßlöffel voll zu nehmen.

Flores amygdali persicae et nuclei persicorum acido hydrocyanico efficacis ut amygdalae amarae aquis suis parandis inserviunt, quas ubi deest, aquae laurocerasi substituunt.

Aqua cerasorum nigrorum.

Nuclei cerasorum nigrorum cuticulae flavicanti inclusi, quam drupa lapidea munit acidi hydrocyanici officina sedesque sunt. Pharmacopoea austriaca ex nucleis cerasorum nigrorum aquam in eum modum parare jubettut nucleorum cerasorum nigrorum contusorum libra una in aquae fontanae libris duodecim per duodecim horas maceretur et inde librae octo abstrahantur. Justo majori dosi comesti: gravitatem capitis, diarrhoeam, vomitum vertiginem vehementem, susurrum aurium, soporem, appoplexiae proximum inducere dicunt.

Nuclei prunorum, quos prunus domestica, nuclei prunorum armeniacorum, quos armeniaca vulgaris Persooni, prunus armeniaca Linnei, fructibus suis inclusos ferunt acido hydrocyanico impraegnati sunt, quod cum aquis inde paratis communicant.



Theses defendendae.

1.

Morbus ipse saepe est remedium morbi.

2.

Omnia veneni vices gerere possunt.

3.

Ligatura funiculi umbilicalis minime negligenda.

4.

Remedium, quo simplicius, eo melius.

5.

Vinum, lac senum; aër atmosphaericus pabulum vitae.

6.

Anamnesticorum exacta cognitio potissimum diagnoseos conficiendae est subsidium.

7.

Somnus vigilia, utraque modum excedentia malum denunciant.

8.

Ratio et experientia sunt fundamenta medicinae.

9.

In scrophulis sol aër et aqua plus praestant, quam pharmaca.

10.

Uterus fons uberrimus morborum.

11.

Morbus in quo prodest mercurius non ideo venereus.

12.

Curatio feminae hystericae difficillima.
